

A D D I T I O N E S
E T V A R I A T I O N E S

A D

PROPRIUM BONONIENSE

BONONIÆ
TYPIS ARCHIEPISCOPALIBUS

1952

INDEX

Bernardini Realino Conf., 3 <i>Julii</i>	Pag.	19
Bernardini Senensis Conf., 20 <i>Maji</i>	"	16
Dominici Conf., 4 <i>Augusti</i>	"	23
Eliæ Facchini Mart., 9 <i>Juli</i>	"	19
Eusebii et Felicis Epp. et Cc., 26 <i>Septembris</i> .	"	27
Faustinani et Zamæ Epp. et Cc. 24 <i>Januarii</i> .	"	11
Felicis et Eusebii Epp. et Cc., 26 <i>Septembris</i> .	"	27
Gasparis Del Bufalo Conf., 30 <i>Decembris</i> . .	"	8
Josephi Pignatelli Conf., 28 <i>Novembris</i> . . .	"	5-30
Paterniani et Theodori Epp. et Cc., 12 <i>Julii</i> .	"	22
Paulæ Frassinetti Virg., 22 <i>Octobris</i>	"	29
Theodori et Paterniani Epp. et Cc., 12 <i>Julii</i> .	"	22
Translatio Capitis S. Petronii Ep. et Conf.,	"	15
Zamæ et Faustiniani Epp. et Cc. 24 <i>Januarii</i> .	"	11

S. RITUUM CONGREGATIO

DECRETUM

BONONIEN.

Præcedenti editione Proprii Officiorum et Missarum Cleri Archidiæcæsos Bononiensis exhausta, E.mus ac Rev.mus Dominus Joannes Baptista Cardinalis Nasalli Rocca de Corneliano, Bononiensis Archiepiscopus, aliam, novis Officiis et Missis ditatam ac variationibus quibusdam in eam allatis additisque Elogiis in Martyrologium, iterum typis cudendam diligenter paravit ac Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPÆ XII, qui suprema Sua Auctoritate sancire eam benigne dignaretur, humillime exposuit. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi ab Eodem Sanctissimo Domino Nostro PIO Divina Providentia PAPA XII specialiter tributarum, proposita additamenta et variationes diligent studio revisit et emendavit, prout in adnexis jacent foliis, atque probavit et a Clero sœculari et regulari universæ Archidiæcæsis Bononiensis Kalendario diæcesano utente, adhibenda concessit. Contrariis quibuscumque nihil obstantibus.

Romæ, die 9 Novembris 1951.

L. † S.

† C. Card. MICARA Pro Præf.

A. CARINCI Archiep. Seleucien., Secretarius

DANIUS BOLOGNINI
EPISCOPUS TITULARIS SIDONIENSIS
VICARIUS CAPITULARIS ARCHIDIOECESIS BONONIEN.

Cum exemplaria Officiorum Propriorum Ecclesiæ Bonon. pæne omnia exiissent, ob eamque rem necesse esset novam editionem comparare, Joannes Baptista Nasalli Rocca de Corneliano Card. Archiep. quem nuper amissum querimur, ipse opus curare statuit. Itaque novorum Beatorum officia adiecit, aliaque ad universalis Ecclesiæ Kalendarium opportune accommodavit, non autem edere potuit. Nos vero, eius memoriæ obsequentes, novam editionem, veluti ex eius manibus acceptam, facultate data a S. Congregatione Rituum, ad normam can. 1390 Cod. J. C., libenter adprobamus, et universo clero huius archidioecesis commendamus.

In quorum fidem has litteras subsignamus
 nostroque sigillo muniri jubemus.

Bononiae, die 20 aprilis 1952, Dominica in Albis

L. + S.

† DANIUS BOLOGNINI Vic. Cap.

ADDITIONES ET VARIATIONES
AD
PROPRIUM BONONIENSE

PARS HIEMALIS

DIE 28 NOVEMBRIS

B. Josephi Pignatelli C.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátum Jo-séphum Confessórem tuum invícta in advér-sis fortitúdine roborásti: ejus nobis intercessióne concéde; ut fortes in fide, inter mundánas varietátes transeámus incólumes, et ad ætérnæ beatitúdinis portum secúri perveníre mereámur. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Joséphus Pignatelli, an-no millésimo septin-gentésimo trigésimo séptimo, Cæsaraugústæ

in Hispánia nobilíssimo génere ortus, quinquén-nis pia genitríce orbá-tus Neápolim venit ibí-que a soróre christiánis móribus sédulo est insti-tútus. In Hispániam re-vérsus, quíndecim annos natus Societátem Jesu ingréssus est, et tirocínio Tarracóne rite perácto reli-giosísque votis nuncupat-is, Manrésæ primum ac dein in Collégiis Bilbilitá-no et Cæsaraugustáno stúdiis óperam dedit. Sa-cerdótio auctus et litterá-rum magistério applicá-tus, apostólico quoque ministério iam tum ma-gno cum fructu prælúsit. Obórta vero contra So-cietatem Jesu immáni procélla ejusque sodáli-bus e regno Hispániae in

Córsicam pulsis, Joséphus tot inter rerum angústias ádeo fortis et constans appáruit, ut Præpósitus Provincialis ómnium eorum éxsulum, máxime vero juniórum, curam ei demandáverit, quam ille mira cum caritáte atque indústria gessit. E Córsica per várias regiões cum sóciis migráre coáctus, Ferráriæ demum consístere et sollémnem quatuor votórum professiónenem emíttere pótuit.

¶ Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ¶ Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Societáte Jesu paulo post a Summo Pontifice Cleménte decimo quarto solúta, Joséphus, tam pleníssimæ erga Apostólicam Sedem oboediéntiae quam tenérrimi erga Societátem matrem amóris exémplar factus, Bo-

nóniam se cóntulit, ibíque per quinque fere lustra, cum in sacrum animárum ministérium incúmbere veteráetur, studiis bonísque artibus coléndis et máxime caritátis opéribus in primis erga antiquos suppréssae Societátis sodáles exercéndis totum se dedit. Ubi tamen pri-mum lícuit, vehémenter exoptávit impetravítque ut dénuo in Ignatiánam familiam, iteráta sollémniprofessióne, recipérétur, et Colúrnii in ditióne Parménsi, nova quadam probatónis domo, annuente Pio Papa sexto, constitúta, Joséphus tirónum magístrum egit. Restitúta vero a Summo Pontífice Pio septimo Societáte in regno Neapolitáno, renascénti illi Provínciae idem Joséphus diligentissime praefuit. Sed inde quoque pulsus, Romæ tandem réquiem invénit, ibíque in paupérísmo hospítio a Sancto Pantaleóne nuncupáto apud sa-céllum Beátæ Maríæ Vírginis a Bono Consilio pæne ábditus últimos vitæ annos sanctíssime trans-égit.

R^g. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi corronávit eum. ḥ. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi.

Vir fuit ingénio doctrináque tam sacra quam profána clarus, et conspícuis prudéntiae ac consílii donis a Deo ornátus. Exímius ómnium religiosárum virtútum cultor, invicta potíssimum ánnimi fortitúdine, mira in rebus advérsis patiéntia, singulári in Deo fiducia enítuit, et tam effusa in páuperes liberalitáte, ut pecúniam in ejus mánnibus prodígio multiplicári multi persuásüm habérent. Insígnis in eo elúxit cultus sacratíssimi Cordis Jesu et ténera, filii instar, erga Déíparam Vírginem píetas. Oratióni vix non continénter déditus, coram sanctíssimo Eucharístiae Sacraménto multas horas atque íntegras quandóque noctes

dúcere in delíciis hábuit. Labóribus demum, sénio et infirmitáte conféctus, Romæ, in eódem Sancti Pantaleónis hospítio, septuagésimo quarto aëtatis suae anno, placidíssime in Dómino obdormívit die décimo quinto novémbris anno millésimo octingentésimo undécimo. Sanctitátis fama, qua vivens incláruit, rite probáta et miráculis confirmáta, eum Pius undécimus, Póntifex Máximus, anno humánæ Redemptíoni recoléndæ sacro in Beatórum númerum rétulit. Sacræ ejus exúviæ pie colúntur Romæ in templo príncipe Societatis Jesu, quæ beátum Joséphum Pignatélli ut præcipuum atque splendidíssimum ánnulum inter antiquam et renatam Societátem súspicit atque venerátur.

R^g. Iste homo perfécit omnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ḥ. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia

regna. — Quia. Glória
Patri. Quia.

In Vesperis Commemoratio
S. Saturnini Mart.

DIE 30 DECEMBRIS

Beati Gaspari Del Bufalo
fundatoris C.P.P.S.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui ad salútem animárum, quas tuo pretioso sanguine redemísti, novam per beatum Gásparem in Ecclésia tua famíliam congregásti: concéde propítius; ut, ipso intercedénte, copísum tuæ redemptiónis fructum consequámur: Qui vivis.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Gaspar Romæ in Exquíliis, honéstis piísque paréntibus ortus, morum suavitáte, innocéntia et gravitáte ab ipsa infantia spem fecit máximæ virtútis. Sancti Francíisci Xavérii ope a minítante cæcitaté liberátus, cœlestis sui Patróni vestígiiis inhaé-

rens, adhuc puer, Jesu Christi Crucifixi amore, et stúdio salútis animárum ita est incénsus, ut ad conversiónem infidélium in longinquas regíones, domo clam aufugiens, pérgeret tentáverit. Clericálem milítiam ingréssus, Canonicórum collégio sancti Marci in Urbe adscríptus est. Sacerdotáli dein dignitáte auctus, hoc unice suscépit consilium, ut Christi Evangélium et Ecclésiæ leges inter cives et pópulos evulgáret, fidem excitáret, mores corrigeret, pietátem fovéret, peccántes redúceret, Dei glóriam tantúmmodo quaéreret.

R. Honestum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimícis, et a seductoribus tutávit illum:
* Et dedit illi claritátem æternam. V. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

In pública rerum conversióne, cum pontifíciæ dictionis invasóri iníquum detrectáasset fidei

sacraméntum, in exsílium pulsus est, et dein in cárcere fere biénno deténtus, etiam Bonóniae aliquandiu. Gaspar tot calamitátibus Ecclésiae occúrrere cùpiens, in custódiæ squalóre cum Deo impénsius satagébat de sacris missiónibus instituéndis ad lucrum animárum quam máxime idoneis. Enimvéro in libertátem vix restitútus, ílico in Urbe, hortátu Pii séptimi, prima jecit fundaménta suæ Congregatiónis. Quanta vero túlerit et égerit per annos círciter vigínti quátuor in a p o s t ó l i c o ministério, quot civitátes et pagos adíerit, quas pugnas sustinúerit, quot áimas Christo lucrifécerit, haud fácile dictu est. Ipse vero in humilitáte sua præ oculis semper habébat illud: Nos autem gloriári opórtet nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi.

R. Amavit eum Domi-nus, et ornavit eum: sto-lam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi cor-onavit eum. ý. Induit eum Dominus loricam fi-

dei, et ornavit eum. — Et ad portas.

Lectio vi.

Drobe noscens innúmera benefícia e pretiosís-simi sanguinis Salvatóris nostri cultu in Christifi-déles promanáre, ejus devotiónem totis víribus ubique propagávit. Mi-
rum quoque fuit, quot et quanta, in exsequéndis divínis consíliis, semper constánti ánimo pertúle-
rit. Numquam fractus ví-
ribus, daémonum et hó-
minum insídias, parátus ad omnem et solam Dei voluntátem exsequén-
dam, contínuo superávit,
sólitus dícere: Ipsi vicé-
runt dracónem propter sanguinem Agni. Demum labóribus conféctus, in morbum ícidit: unde ab assíduis peregrinatióni-
bus sese Romam recí-
piens, ibi plenus méritis, in ósculo Dómini, diem óbiit suprénum, quinto Kaléndas Januárii, anno millésimo octingentésimo trigésimo séptimo, ætatis quinquagésimo secúndo nondum impléto. Eum Pius décimus Póntifex

máximus Beatórum fastis accénsuit.

Rv. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. V. Iste est, qui contempsit vitam mundi et pervenit ad cælestia regna. — Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

IN III. NOCTURNO

Lectio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Cap. 16, 15-18.

Lectio vii.

In illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum universum, prædicáte Evangélium omni creaturæ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregorii Papæ.

Homil. 29 in Evang.

Potest omnis creaturæ nómine omnis natio géntium designári. Ante enim dictum fúerat: In viam géntium ne abiéritis; nunc autem dícitur: Prædicáte omni creatu-

ræ: ut scílicet prius a Judaéa Apostolórum repulsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimónium supérba repulisset. Sed cum discípulos ad prædicandum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recipiat ex nostra fide.

Rv. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. V. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse.

Lectio viii.

N eque étenim in universo mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, nisi de manu Dómini super rationálem terram illa élæcta grana prædicantium non veníssent. Séquitur: Qui credíderit

et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat: Ego jam créddi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum: quando revertatur a nuptiis. ¶. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Quod cum ita sit, fídei nostrae veritátem in vitæ nostræ consideratione debémus agnoscere. Tunc enim veráciter fidèles sumus, si quod verbis promíttimus, opéribus complémus. In die quip-

pe baptísmatis, ómnibus nos antíqui hostis opérribus atque ómnibus pom-pis abrenuntiáre promísimus. Itaque unusquísque vestrum ad consideratió nem suam mentis óculos redúcatur; et si servat post baptísmum, quod ante baptísmum spopóndit, certus jam quis fidélis est, gáudeat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes Commemoratio Octavae Nativitatis. Vesperae de sequenti, Commemoratio præcedentis et Octavae.

DIE 24 JANUARII

SS. Zamae et Faustiniani
Epp. et Cc.

Duplex.

Omnia ut in festo SS. Tertulliani et Jucundi (die 18 Aprilis), præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos beatórum Zamæ et Faustiniáni Confessórum tuórum atque Pontíficum confessiónibus gloriósis circúmdas et prótegis: da nobis, et eórum imitatióne profícre, et intercessióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio prae-
cedentis ac S. Timothei Ep. et
Mart.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Inter sanctos antistites,
quos, ceu patres, religioso cultu veneratur Bononiensis ecclesia, singulararem laudem semper obtinuit Zama, qui primus, Constantini magni Imperatoris temporibus, hanc episcopalem sedem tenuit. Celebratur praecipue, quod vitam undequaque puram et inculpatam pastor optimus semper duxerit et quos evangelii predicatione docebat, preclaris exemplis institueret. Claruit ardentiissimo studio salutis animarum; nec quidquam ei unquam fuit antiquius, quam ut a dæmonis servitute ad Dei notitiam, cultumque traduceret Æmiliae populos, quos adhuc in tenebris et in umbra mortis detinebat infidelitatis error et ignorantia. Complures a ritibus sacrilegis revocavit; presbyteros et diaconos in sua Ecclesia ordinavit.

Tandem plenus meritis, longævus ad beatam patriam evolavit.

Ry. Disciplinam et sapientiam docuit eos Dominus: firmavit in illis gratiam Spiritus sui, * Et intellectu implavit corda eorum. ¶ Colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. — Et intellectu.

Lectio v.

Eius corpus, una cum reliquiis sancti Faustiniani, in Episcopatu hujus Ecclesiae secundi, saeculo decimo quinto, apud sanctorum Naboris et Felicis templum publice colebatur. Sed, Ecclesia Cathedrali omnino reflecta, Gabriel cardinalis Paleotus, primus nostræ Dioeceseos Archiepiscopus, anno millesimo quingentesimo octogesimo sexto, quarto nonas majas, duorum Antistitum corpora solemnri ritu transferenda curavit, et sub altari maximo eadem in Ecclesia condidit.

Ry. Suscitabo super gregem meum pastorés, et

pascent eos: non formidabunt ultra, et non pavébunt, * Et nullus quaeréatur ex número, dicit Dóminus. ¶ Non esúrient, neque sitiént, et non percutiet eos aestus et sol.
— Et nullus.

Lectio vi.

Faustiniánus, seu Faustínus, secúndus post Zamam epíscopus, quartus saéculo Bononiénsem illustrávit Ecclésiam. Consummátus in brevi, explévit témpora multa, qui praecláris virtútibus et conspícuo fídei defendéndae stúdio constánter enítuit. Sanctus quoque Athanásius gloriósum Antístitem inter


fídei christiánæ assertóres in Sardicénsi Concílio contra Ariános enúmerat et laudat.

R. Sit memória illórum in benedictióne, et ossa eórum pullulent de loco suo: * Et nomen eórum permáneat in aetérnum, * Pérmans ad filios illórum, sanctórum virorum glória. ¶ Nam corrobórávérunt Jacob, et redemérunt se in fide virtutis. — Et. — Glória Patri. — Pérmans.

Pro IX Lectione S. Timothei Ep. et Mart. sumantur Lectio-nes iv. et v. quae in Breviario habentur, in unam junctæ.

Ad Laudes fit Commemoratio S. Timothei: Apt. Qui odit. ¶ Justus.

Vesperæ de sequenti: Com-memoratio S. Petri Ap., Ss. Zamae et Faustiniani, et S. Ti-mothei.



ADDITIONES ET VARIATIONES
AD
PROPRIUM BONONIENSE

PARS VERNA

FERIA SECUNDA

Infra Octavam Ascensionis.

In Translatione Capítis
S. Petronii, Ep. et Conf.

Simplex.

In II. Vesperis Dominicæ
commemoratio ut infra.

Ant. Glorificávit Deus *
beátum Petrónium in con-
spéctu regum, et osténdit
illi glóriam suam: in fide
et lenitáte ipsíus sanctum
fecit illum, allelúja.

ŷ. Esto mihi in protec-
tórem et in domum re-
fugii, allelúja.

R. Ut salvum me fácias,
allelúja.

Oratio.

D eus, cujus nutu per di-
vérsa loca ipsa quo-
que sanctórum córpora

disponúntur: tríbue quæ-
sumus, ut qui beáti Petrónii
confessóris tui atque
Pontíficis translatióñem
cólimus, ipsi étiam a
pravitáte nostra ad pie-
v i v é n d i rectitúdinem
transferámur. Per Dómi-
num.

Lectio ix.

P o s t q u a m Petrónius
Bononiénsum epíscopo-
pus sancto fine quiévit,
sacræ illius exúviæ in
ecclésia Sancti Stéphani
protomártyris húmili lo-
co, ut ea ferébant témpora,
cónditæ sunt, ipsís
cívibus ignóto. Sedénte
autem Innocéntio secún-
do, Románo Pontífice,
Henrícus Bonóniæ Epí-
scopus ad relíquias ea

in aede perquiréndas sua pietáte excítus, in corpus sancti Petrónii ícident, quod statim cópia miraculórum veneratióne maximam obtinuit. Non multo post, cives Bononiénses eídem nobilíssimum templum ære conlátó excitárunt. Illuc vero, quotánnis, recurrénte natáli die, sacrum caput s a n c t í s s i m i præsulis, quod, avúlsum a corpore, cum céteris eiúsdem relíquiis in Stephaniána æde servabátur, solémniter transferebátur. Póstea vero Benedíctus décimus quartus, Summus Póntifex, idemque archiepiscopus Bononiensis, caput ipsum, inclúsus pretiosióre arca in Basílica Petroniána collozári vóluit, eidémque basílícæ dono addidit. Ne autem antíqui usus memória excíderet sanctissimum caput solémni pompa et supplicátiōne ab una ad áliam ecclésiam transferéndi, festum hoc celebrándum instítuit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes Commemoratio ut infra.

Ant. In sanctitáte * et justitia serviámus illi, qui dedit nobis tam pium patrem et sollicitum pastórem, non sua, sed quæ Christi sunt, quæréntem, allelúja.

℣. Esto mihi in protec-tórem et in domum refúgii, allelúja.

℟. Ut salvum me fáciás, allelúja.

Oratio Deus, cujus nutu.

Ut supra.

DIE 20 MAJI

S. Bernardini Senensis, C.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario, præter mutationem in Lectione VI.

Lectio vi.

Cumque ea tēmpora vítiis criminibúsque redundárent, et cruéntis factiōnibus in Itália, divina humánaque ómnia permícta essent, Bernardinus urbes atque oppida concúrsans, in quibus non semel Bonóniam nostram, ubi verbum Dei in ipsa Petroniána Basílica quadragesimáli tēmpore, aliisque in templis san-

ctíssime administrávit, in nómine Jesu, quem semper in ore et in péctore gerébat, collápsam pietátem morésque verbo et exémplo magna ex parte restítuit. Quo factum est, ut præcláræ civitátes eum epíscopum a Summo Pontífice postulárent; quod ille munus invícta humilitáte constantíssime rejicit. Dénique vir Dei i m m é n s i s labóribus exháustus, multis magnísque éditis miráculis, líbris étiam pie doctéque conscríptis, cum vixísset annos sex ac sexagínta, in urbe Aquila in Vestínis beáto fine quiévit. Quem novis in dies coruscántem signis, anno post óbitum sexto, Nicoláus quintus Póntifex Máximus in Sanctòrum númerum rétulit.

DIE 24 MAJI
Translatio
S. Dominici, C.
Simplex.

Capitula, Hymni, ant. ad Magnificat et Benedictus, Responsoaria ad Horas, Oratio: ut in festo S. Dominici.

Lectio iii.

Sanctíssimi Patriárchæ Domíni ci áima ad ætérmum glóriæ regnum immigránte, corpus illius in arcam lígneam illátum et húmili sepúlcro Bónoniæ cónditum fuit. Sed cum félices illæ relíquiæ innúmeris miraculis coruscárent, de transferéndis in celsiórem locum ab ómnibus certátim in senténtiam itum est. Facta est hæc translátio anno millésimo ducentésimo trigésimo tértio. Adfuit præter venerábilem Jordánum, secúndum Ordinis Magístrum, Archiepíscopus Ravénnas et Magistrátus Bononiénsis atque innúmera tum clericórum tum cívium e vicínis étiam úrbibus multitudo. Tunc vir admirándus Jordánus et álii cum illo fratres, sacras reliquias, summa cum veneratióne e prióre arca edúctas, in novam áliam reposuérunt, et marmóreo condidérunt se púlcro. Horréndo grassánte bello anno millesímo nongentésimo quadragésimo tértio, sancta Patris Domí-

nici ossa in céllam subter
fratrum capitulárem au-
lam, alte defóssam, vé-
tere inviolato féretro, so-
lémniter deláta sunt. Re-
bus demum compósitis,
adstántे Cardináli Ar-
chiepíscopo Bononien-
sium Legátō Pontíficis,
Ordinis Magístro, magna
fratrum multitúdine qui

ex toto orbe Bonóniam
convénerant, atque rei-
públicaे moderatóribus,
nóbilem in arcam intácta
restitúta sunt, die décima
quinta mensis septembris,
anno Dómini millésimo
nongentésimo quadragé-
simo sexto.

Te Deum laudámus.

ADDITIONES ET VARIATIONES

AD

PROPRIUM BONONIENSE

PARS AESTIVA

DIE 3 JULII

S. Bernardini Realino, C.

Duplex.

In fine Lectionis vi additur:
«Dénique Pius duodécimus catá-
logo Sanctórum eum ascrípsit».

DIE 9 JULII.

Beatí Eliae Facchini, M.

Duplex.

Oratio.

Dómine Jesu, mártirum
exemplar et coróna,
concéde nobis, beáto Elía
Martyre tuo intercedénte:
ut in fídei professióne,
animárum zelo et chri-
stianæ vitæ integritáte
fidéliter perseverántes; ad
cælum felicíter perveníre
valeámus: Qui vivis et
regnas.

Et fit Commemoratio prae-
cedentis.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Elías a Rheno Centén-
si, cui nomen ante
fuérat Joánnes Petrus
Facchíni, agrésti famí-
lia in archidioecési Bo-
noniénsi anno millésimo
octingentésimo undequa-
dragésimo ortus est. Litterarum et sacræ doctrí-
næ eleménta a párocho
suo dídicit, qui primus
eam cùriam tum eréctam
regébat, nec parum in
stúdiis profécit, quamvis
ingénii tam proclívis ad
lúdicra esset, ut jocórum
jucundítate inter æquáles
præstáret ac lérido co-
gnómiñe vulgo appellá-
rétur. Nec tamen sacros
ritus unquam negléxit,
neque pietatis exercítia
prætermísit. Quinto æ-

tatis anno, sacro chrísmate linítus est, et undécimo ad cælestem mensam pie accéssit. Elucébat quidem in eo adolescéntulo, una cum morum innocéntia, ea indolis festívitás, qua non videbátur perfectiōnis consílium cogitáre; sed quíndecim annos natus, præter ómnium exspectatióñem, in órdinem Franciscálium, quos semper adamáverat ac stípem quæréntes donári semper cupiébat, ut recipérétur rogávit.

R. Honéstum fecit il-lum Dóminus, et custo-dívít eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit il-lum: * Et dedit illi clari-tátem ætérnām. ¶. Ju-stum dedúxit Dominus per vias rectas, et ostén-dit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Novitiátus anno Arímini exácto una cum beáto Francísco Fogólla, quem póstea epíscopum suum ac martyrii sócium habitúrus erat, expletóque váriis in locis stu-diórum currículo, Ferrá-

riæ anno millésimo octin-gentésimo sexagésimo quarto sacerdótio auctus est. Cum inde in pátriam ad suósque rediísset, prístinam ingénii jucundi-tátem cum tanta sacer-dotális dignitátis gratia conjúnctam praébuit, ut ómnibus esset admiratióni, sapientésque eius sermónes, jocósis verbis condíti, in ómnium anímis insculperéntur. Sed clauso a cathólicæ reli-giónis adversáriis, in Itália tunc dominántibus, Ferrariénsi coenóbio, Elias, qui ímpiis strénue restíterat, pétuit ut ad Sínenses missiónes mitte-réntur: quod quidem, per-spécto eius apostolátus stúdio, ei concessum est. Ad agrum suæ caritáti concréditum advéc-tus, variis munéribus di-ligentíssime functus est, ac præsértim Seminário óperam dedit, ut novos operários paráret, qui in multam illam messem mitteréntur. Hujus labóris máximum fuísse fructum, testántur quinque alúmni qui ejus martyrii consórtes fuérunt.

R. Amávit eum Dómi-

nus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum; * Et ad portas paradisi corónavit eum. ¶ Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi.

Cum igitur diu fecundís-simum exercuísset apostolátum, anno millésimo nongentésimo crudé-lis in Sinárum império or-ta est persecútio, quæ non tantum in Europaéos quantum in cathólicos ódio fidei exársit. Die nona Júlii, in urbe Tai-Jüan-fu vicariátus apo-stólici Sciansiénsis sep-temtrionális, irruéntibus boxéribus, uti vocantur, jussu ímpii illíus provín-ciae práesidis, duo epíscopi Gregorius Grassi et Franciscus Fogólla, atque nonnúlli clérici, moniales fidelésque sinénses ad vi-gínti quinque, interfécti sunt. Horum caéde jam perácta, Elías qui in cárcere detinebátur, inde in júdicis conspéctum cate-nis onústus addúctus est, brevitérque interrogátus, cápit is damnátur et glá-dio percútitur: cuius su-

préma verba, tamquam lætántis, hæc fuérunt: « ad cælum, ad cælum ». Caput abtruncátum óppidi portæ affíxum est, ad terrórem cívibus incutién-dum. Quidam christiánus miles in procéssu canónico asséruit se duos ángelos vidísse, qui, corónam ge-stántes, ánimam beáti Elíæ in áëra levábant. Quadragínta post annos Pius duodécimus Póntifex Máximus Elíam una cum sóciis martyribus utriús-que vicariátus Honanén-sis Austrális et Sciansiénsis septemtrionális ad beatórum honórem evexit.

Rg. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: *Quia te vidi ju-stum coram me ex ómni-bus géntibus. ¶ Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad caeléstia regna. — Quia. Glória. Quia.

IN III. NOCTURNO

Homilia in Evangelium « Ni-hil est opertum », de Communi unius Martyris extra T.P. loco iv.

Ad Vesp. Commemoratio se-quentis.

DIE 12 JULII

Ss. Paterniani et Theodóri, Epp. et Cc.

Duplex.

Omnia ut in festo SS. Tertulliani et Jucundi (die 18 aprilis), præter Orationem et Lectiones sequentes:

Oratio.

Deus, qui nos beatórum Paterniáni et Theodóri Confessórum tuórum atque Pontíficium confésionibus gloriósis circúmdas et prótegis: da nobis, et eórum imitatióne profícere, et intercessióne gaudere. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Joannis Gualberti Abb. et SS. Naboris et Felicis Mm.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Paternoánus, antiquitus Parthénius quoque appellátus, exeunte saéculo quinto, dècimus inter episcopos, pie sancteque Bononiénsim rexit Ecclésiam. Cuius sánctitas valde commendátur ob veneratióne qua ejus sepúlcrum circum-

dabátur, et festi apud mónachos sancti Próculi celebratióne. Quod festum in Calendário quoque Dioecésis inscríptum nunc quotánnis celebrátur una cum festo Sancti Theodóri.

R. Disciplinam et sapientiam dócuit eos Dóminus: firmávit in illis grátiam Spíritus sui, * Et intelléctu implévit corda eórum. **V.** Colábit eos quasi aurum, et quasi argéntum, et erunt Dómino offeréntes sacrificia in justitia. — **Et.**

Lectio v.

Inter sanctos Antístites, título sanctitatis insígnes, qui Bononiénsim rexérunt ecclésiam, étiam Theodórus enumerátur. Cujus corpus una cum reliquiis plurimórum civitatis episcoporum pùblicam veneratióne in Ecclésia Sanctórum Naboris et Felícis hábuit. Festum in Calendário Dioecésis olim die quinta inscríptum, hódie die dècima prima ejúsdem mensis celebrátur.

R^g. Suscitábo super gregem meum pastóres, et pascent eos: non formidábunt ultra, et non pavébunt, * Et nullus quæréatur ex número, dicit Dóminus. ¶ Non esúrient, neque sítient, et non percútiet eos æstus et sol. — Et nullus.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 29 in Epist. ad Rom. n. 5.

Lectio vi.

Hómines, qui pópulis præsunt, de vulgáribus rebus consuléntes, noctes diébus vigilántes adjúngunt; nos vero, qui de ipso cælo certámén habémus, in ipso quoque die dormímus? Ecquis nos demum liberábit a supplicio, hisce delíctis débito? Nam si corpus trucidándum, si sexcéntæ subeúndæ mortes essent, annon quasi ad celebritátem eo cùrrere oportéret? Hæc porro non modo pastóres, sed étiam oves áudiant, ut pastóres inde alacrióres fiant, ut magis i l l ó r u m propositum áuant, ut ipsi nihil áliud

quam obsequéntiam præbeant.

R^g. Sit mémoria illórum in benedictione, et ossa eórum púllulent de loco suo: * Et nomen eórum permaneat in aetérnum, * Pérmanens ad fílios illórum, sanctórum virórum glória. ¶ Nam corroborávérunt Jacob, et redemérunt se in fide virtutis. — Et. — Glória Patri. — Pérmanens.

Lectio IX S. Joannis Gualbertis Abb.

Ad Laudes Commemoratio S. Joannis et Ss. Mart..

Ad Vesp. Commemoratio S. Anacleti Pp. et M. et S. Joannis Abb.

DIE 4 AUGUSTI

S. Domínici, Confessoris Patronis mínuſ prínc. Dpl. 2 cl.

Omnia ut in Proprio sub hac die præter lectiones sequentes:

IN II. NOCTURNO

Lectio iv. (Ex Theodorico de Apolida, S. Antonino, aliisque gestorum ejus auctoribus).

Sanctíssimus Pater Domínicus Calarógæ in Hispánia ex nobilíssima Guzmanórum família na-

tus est. Hujus mater grávida sibi visa est per quiétem continére in alvo cátulum, qui facem ore praéferens, orbem terrárum incénderet: quo sómnio significabátur fore ut splendóre sanctitatis ac doctrínæ ejus gentes ad christiánam pie-tatēm inflamaréntur. Post liberálium artium ac theológiæ stúdia, primum Oxoménsis Ecclésiae Canónicus reguláris fuit, deinde claríssimum Prædicatórum Ordinem instituit, ab Honório Tér-tio Summo Pontífice confirmátum. Post confirmatum Ordinem, noctes in ecclésia pæne ducébat insómnes. Et si quando grávior somnus fessa membra obrúeret, stans nixus altári, vel ad durum lápidem inclinátus, páululum quiescébat. Caténa férrea singuli-lis nóctibus áriter nudum corpus affligébat.

R^g. Paupertatis ascendens culmina, clamat mundi detestans cri-mina, frangit hostes, et fugat agmina: * Nulla Sanctum frangunt discri-mina. ſ. Nocte cæli per-

lustrans limina, die ter-ris dat verbi semina. — Nulla.

Lectio v.

Máximam lacrimárum vim assídue profun-débat, præcipue cum sacrum Missæ sacrificium peragébat. Nulla re æque lætabátur ac sui contémptu: puritátem tum cörperis tum ánimi integerrimam perpétuo ser-vávit. Peccatis et ærúmnis humanis vehémenter discruciabátur. Itiner a nudis péibus, étiam per loca áspera, hymnos cón-cinens, conficiébat. Absti-néntia rara, carnes nun-quam edébat: jejúnia nec æger solvébat. Letális cri-minis totam vitam expértem omnino duxit. Salútis animárum sitientíssimus, martyrii quoque cu-pidíssimus fuit. In everténdis hæréticis Albigén-sibus septem consúmpsitus annos, multis eórum ad cathólicam fidem addúc-tis.

R^g. Felix vitis, de cuius súrculo tantum germen redundat sæculo, * Cæli vinum propínans populo

vitali poculo. ḥ. Ex ubertate palmitum mundi jam cinxit ambitum. — Cæli.

Lectio vi.

Anno millésimo ducénimo tésimo primo sub finem mensis Julii, æstu et labore itineris conféctus, Bononiām venit. Et cum vix præ lassitudine membra subsísterent, incredibili tamen devotio-nis ardore succénsus, in ecclésia totam noctem orans de more consúmpsit, ac matutinis étiam préci-bus cum frátribus intér-fuit. Quibus finítis, gravi-cápit is dolore afféctus, in febrem ícidit, ex qua procul dúbio se moritú-rum intelléxit. Rara fuit ejus in extrémo morbo patiéntia: nam fébribus

exústus, semper vultu hí-lari ac jucundo erat. Obiit octávo Idus Augústi, unum et quinquagésimum annum agens. Quem miráculis clarum, Gregórius nonus, Póntifex Maximus, catálogo sanctórum accénsuit. Fuit vir plane apostólici péctoris ac spí-ritus, fídei columen, Evangélii tuba, orbis ó-culus, Christi lucérna, se-cúndus Præcúrsor, et magnus animarum oecóno-mus: quem multíplices tantárum virtútum in cæ-lo corónæ décorant.

R. Ascendentí de valle lubrici mundi, chori plau-dant angelici: * Jesu bo-ne, prece Dominici, tibi præsta nos gratos éffici. ḥ. Per quem multos a morte súscitas, pœnas no-bis relaxa débitas. — Je-su. Glória Patri. Jesu.

ADDITIONES ET VARIATIONES
AD
PROPRIUM BONONIENSE

PARS AUTUNNALIS

DIE 26 SEPTEMBRIS

Ss. Eusebii et Felicis,
Epp. et Cc.

Duplex.

Omnia ut in festo SS. Tertulliani et Jucundi (die 18 aprilis), præter Orationem et Lectio-
nes sequentes:

Oratio.

Deus, qui nos beatórum Eusébii et Felícis confessórum tuórum atque Pontíficum confessiónibus gloriósis circúmdas et pró-tegis: da nobis, et eórum imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

In primis Vesperis Comme-moratio Ss. Cypriani et Justi-næ Mm.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Eusébius Bononiénsis episcopus, quo tém-pore regnárunt Gratiá-nus ac Theodósius imperátiores, illústra dedit sanctitatis exémpla. Singulári familiaritaté complectebátur ipsum sanctus Ambrósius, Mediolanénsis episcopus, qui saépius Eusébium mémo-rat. Tantæ virtútis erat ad persuadéndum sacræ vir-ginitatis propósitum, ut eo praésule, florentíssima Bonóniæ fúerint sancti-monialium contubérnia, quas sanctus Ambrósius inter céteras laudes appéllat fœcúnda pudoris ágmina, quæ, mundánis déliciis abdicántes, sacrá-rium virginitatis ícolunt.

R. Disciplinam et sapientiam dōcuit eos Dóminus: firmávit in illis grátiam Spíritus sui, * Et intellectu implévit corda eórum. Ḷ. Colábit eos quasi aurum, et quasi argéntum, et erunt Dómino offeréntes sacrificia in justitia. — Et.

Lectio v.

Neque Bononiénsis tantummodo, sed univerſa, qua late patet, ecclésia probe cognóvit saeculo quarto, quam singulári christiánæ rei stúdio Eusébius conflagráret. Ut enim fidem cathólicam sartam tectam serváret, advérsus hæréticos Palládium, et Secundiánum in Aquilejensi concilio strénuue decertávit, eisque dixit anáthema, quod epíscopi céteri comprobárunt. Tandem méritis plenus obdormívit in Dómino.

R. Suscitábo super gregem meum pastorés, et pascent eos: non formidabunt ultra, et non pavébunt, * Et nullus quæréatur ex número, dicit Dóminus. Ḷ. Non esúrient,

neque sítient, et non percutiet eos aestus et sol.
— Et nullus.

Lectio vi.

Felix ecclésiae Mediolanensis diáconus fuit, quo tempore sanctus Ambrósius erat epíscopus. Quam magna virtútum laude præstáret, vel ex hoc uno conícere est, quod in rebus árduis eo potíssimum uterétur sanctus Ambrósius, Theodosio scribens: Mérito, inquit, ad perforéndam epístolam meam filium meum Felicem diáconum misi, simul ut mei vicem officii repreſentárte, et memoriā pro his, qui ad matrem pietatis tuæ ecclésiam, peténtes confugérunt. Grande est, quod pétimus. Votis ánnuit imperátor, ut narrat Paulínus, qui Felicem ecclésiae Bononiensi póstea præfuísse refert; quam rexit ineúnte saeculo quinto. Ejus corpus in Ecclésia sanctorum Náboris et Felícis cónditum, nunc sub ara maxima templi Metropolitáni cólitur.

R. Sit memória illórum

in benedictiōne, et ossa eórum púllulent de loco suo: * Et nomen eórum permáneat in ætérnum, * Pémanens ad fílios illórum, sanctórum virórum glória. Ḷ. Nam corroborávérunt Jacob, et redémérunt se in fide virtútis. — Et. Glória Patri. Pémanens.

Lectio IX et commemoratio ad Laudes Ss. Cypriani et Justinae Mm. In Vesperis Commemoratio sequentis.

DIE 22 OCTOBRIS

**Beatae Paulae Frassinetti,
Virginis**
Simplex.
Oratio.

Deus, qui beátam Paulam divinæ voluntati tuæ constánter adhærére docuísti, ac per eam, ad christiánam iuventútis educationem fovéndam, novam in Ecclésia tua virginum familiam suscítasti: ejus nobis intercessióne concéde; ut, te in ómnibus et super ómnia inquiréntes, próximos quoque nostros veráciter diligámus: Qui tecum vivit.

Lectio iii.

Paula Frassinetti Januénensis, anno millésimo octingentésimo nono, honéstis paréntibus orta, a puerítia pótius ad cælestia quam ad terréna conténdere visa est. Duodécimum annum agens, cum matre esset orbáta, domus curam suscépit, eámque maióre prudéntia et diligéntia quam pro ætate administrávit. Cum autem ne vitam religiosam ingrederétur tunc impedíta esset, apud Joséphum fratrem curiónem in vico Quinto, totam se puéllis instituéndis trádidit: unde initium hábuit institútum a Sancta Dorothaea nuncupátum, quod inter plúrimas gravissimásque difficultates primum in Itália, deinde in Lusitánia et in áliis regiónibus étiam utriúsque Américæ auxit et propagávit. Inter prióres ac præstantiores domos, Bononiénsis fuit, quam ipsa fundávit et plúries invísit, in qua étiam eo morbo corrépta est, quo póstea vita décessit. Itaque post mul-

tos labóres in regéndo et amplificándo religioso instituto fórtiter tolerátos, auxílio freta Sacratíssimi Cordis Jesu et Vírginis Immaculátæ, Romæ sanctissime óbiit die undécima Júnii anno millésimo octingentésimo octogésimo altero. Virtútum quidem ac miraculórum fama præcláram, Pius undécimus Póntifex Máximus, beatárum vírginum coétui anno millésimo nongentésimo trigésimo ascrípsit.

Te Deum laudamus.

DIE 28 NOVEMBRIS

B. Josephí Pignatelli, C.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátum Josephum Confessórem tuum invicta in advérsis fortitúdine roborásti: ejus nobis intercessióne concéde; ut fortes in fide, inter mundánas varietátes transeámus incólumes, et ad ætérnæ beatitúdinis portum secúri pervenire mereámur. Per Domum.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Joséphus Pignatelli, anno millésimo septingentésimo trigésimo séptimo, Cæsaraugustæ in Hispánia nobilíssimo génere ortus, quinquénnis pia genitrice orbatus Neápolim venit ibique a sorore christiánis móribus sédulo est institutus. In Hispániam réversus, quíndecim annos natus Societátem Jesu ingréssus est, et tirocínio Tarracóne rite perácto religiosisque votis nuncupatis, Manrésæ primum ac dein in Collégiis Bilbilitáno et Cæsaraugustáno stúdiis óperam dedit. Sacerdótio auctus et litterárum magistério applicátus, apostólico quoque ministério iam tum magnō cum fructu prælúsit. Oborta vero contra Societatem Jesu immáni procélla ejusque sodálibus e regno Hispániae in Córscicam pulsis, Joséphus tot inter rerum angústias ádeo fortis et constans appáruit, ut Præpósitus Provincialis ómnium eo-

rum éxsulum, máxime vero juniórum, curam ei demandáverit, quam ille mira cum caritáte atque indústria gessit. E Córscica per várias regíones cum sóciis migráre coáctus, Ferráriæ demum consístere et sollémnem quatuor votórum professió-nem emíttere pótuit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ¶. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Societáte Jesu paulo post a Summo Pontifice Cleménte decimo quarto solúta, Joséphus, tam pleníssimæ erga Apostólicam Sedem obcedientiæ quam tenérrimi erga Societátem matrem amo-ris exémplar factus, Bonóniam se cóntulit, ibique per quinque fere lustra, cum in sacrum animárum ministérium incúmbere vetarétur, studiis bonís-que artibus coléndis et

máxime caritátis opéri-bus in primis erga anti-quos suppréssae Societátis sodáles exercéndis totum se dedit. Ubi tamen pri-mum lícuit, veheménter exoptávit impetravítque ut dénuo in Ignatiánam famíliam, iteráta sollémni professióne, recipéretur, et Colúrnii in ditióne Parménsi, nova quadam probatiónis domo, an-nuente Pio Papa sexto, constitúta, Joséphus ti-rónum magistrum egit. Restitúta vero a Summo Pontífice Pio septimo So-cietáte in regno Neapolitáno, renascénti illi Pro-vínciae idem Joséphus di-ligentissime praefuit. Sed inde quoque pulsus, Ro-mæ tandem réquiem invé-nit, ibique in paupérímo hospítio a Sancto Panta-leóne nuncupáto apud sa-céllum Beátæ Mariæ Vírginis a Bono Consílio pæ-ne ábditus últimos vitæ annos sanctíssime trans-égit.

R. Amávit eum Dómi-nus, et ornávit eum, stolam gloriæ induit eum; * Et ad portas paradisi coronávit eum. ¶. Induit eum Dóminus lorícam fi-

dei, et ornávit eum. —
Et.

Lectio vi.

Vir fuit ingénio doctrináque tam sacra quam profána clarus, et conspícuis prudéntiae ac consílii donis a Deo ornátus. Exímius ómnium religiosárum virtútum cultor, invicta potíssimum ánnimi fortitúdine, mira in rebus adverásis patiéntia, singulári in Deo fiducia enítuit, et tam effusa in páuperes liberalitáte, ut pecúniam in ejus máníbus prodígio multiplicári multi persuásüm habérent. Insígnis in eo elúxit cultus sacratíssimi Cordis Jesu et ténera, filii instar, erga Deíparam Vírginem píetas. Oratióni vix non continénter déditus, coram sanctíssimo Eucharístiae Sacraménto multas horas atque íntegras quandóque noctes dúcere in delíciis hábuit. Labóribus demum, sénio et infirmitáte conféctus, Romæ, in eódem Sancti Pantaleónis hospítio, septuagésimo quarto ætátis

suae anno, placidíssime in Dómino obdormívit die décimo quinto novémbris anno millésimo octingentésimo undécimo. Sanctitatis fama, qua vivens incláruit, rite probáta et miráculis confirmáta, eum Pius undécimus, Póntifex Máximus, anno humánæ Redemptiōni recoléndæ sacro in Beatórum númerum rétulit. Sacræ ejus exúviæ pie colúntur Romæ in templo príncipe Societatis Jesu, quæ beátum Joséphum Pignatélli ut præcípuum atque splendidíssimum ánnulum inter antíquam et renatam Societátem súspicit atque venerátur.

R. Iste homo perfécit ómnia, quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus gèntibus. ¶ R. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervènit ad cælestia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In Vesperis Commemoratio
S. Saturnini Mart.